Cod. 756, 60 f.

aus Inc. I 6, Bd 1, hinten

nis dispensationem perficere uoluit; Dicit
enim euangelista: proximum erat pascha iudaeorum;
Illum diem festum iudaei cruentum habebant et cru
entare dominum sanguine uoluerunt. In illo die festo
occisus agnus qui in nobis eundem diem festum
suo sanguine consecrauit; Consilium
erat uero iudaeos de occidendo ihesu. ille
qui de caelo uenerat pati: propinquare
uoluit loco passionis: quia inminebat
hora passionis; FER VII

LEC SCI EVG SECVNDVM IOHANNEM

IN ILLO TEMPORE. Dixit ihesus discipulis suis;
Amen amen dico uobis: nisi manducaueri
tis carnem filii hominis. et biberitis eius san
guinem non habebitis uitam in uobis;
Et reliqua. OMELIA augustini. cap. cxxxii

NE ISTA AVTEM INTELLIGE
rent uitam. secutus adiunxit;
Qui manducat et bibit:
habet uitam aeternam; Temporalem uitam
sine illo pane habere possunt homines:
aeternam omnino non possunt; Quod autem ait.
non habet in se uitam: et postea habet uitam.
ad utrumque respondit; quod dixit aeternam: hunc
itaque cibum et potum societatem uult intellegi
corporis membrorumque suorum: quod est sancta
ecclesia in praedestinatis et uocatis. et iustifi
catis. et glorificatis sanctis et fidelibus eius;
Quorum primum iam factum id est praedestinatio:
secundum iam et tertium et factum est. et fit. et fiet.
id est uocatio et iustificatio; Quartum autem
in re futurum est. id est glorificatio; Huius rei
sacramentum id est unitatis corporis et san
guinis christi de mensa dominica sumitur: quibus
dam ad uitam quibusdam ad exitium. Res
uero ipsa omni homini ad uitam: nulli ad exi
tium. quicumque eius particeps fuerit; Ne autem
eum putarent sic in isto cibo et potu promi
sisse uitam aeternam: ut qui eam sumerent nec
corpore morirentur: continuo subiecit;
Et ego resuscitabo eum in nouissimo die;
Ut habeat interim secundum spiritum uitam aeternam:
secundum corpus in resurrectione mortuorum;
Caro enim mea uere est cibus: et sanguis meus
uere est potus; Non esurire neque sitire
ueraciter praestat: nisi iste cibus et potus
id est societas ipsa sanctorum. ubi pax erit et uni
tas plena et perfecta; Qui cibus et potus: fa
cit sumentes inmortales et incorruptibiles;
Propterea quippe dominus ut nostrum corpus et san
guinem suum in eis rebus commendauit. quae
ad unum aliquid rediguntur ex multis. siue
granis siue acinis. ut sanctorum caritatis unita
tem significaret; Denique exponit. quid sit
manducare corpus eius: et sanguinem bibere
dicens; Qui manducat carnem meam et bi
bit sanguinem meum: in me manet et ego
in illo; Hoc est ergo manducare illam escam
et illum bibere potum: in christo manere. et illum
manentem in se habere; Ergo qui non manet
in christo. et in quo non manet christus: procul dubio
nec manducat eius carnem. nec bibit eius san
guinem; Sicut misit me uiuens pater. et
ego uiuo propter patrem; Et qui manducat
me: et ipse uiuet propter me; Ac si diceret;
Ut ego uiuam propter patrem. id est ad illum tamquam

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. 756.60, 2r – Collection of homilies
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-q7xe/5101/48672)